



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm  
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione  
Dilvcidatvs**

**Tollenaer, Jean de**

**Antverpiæ, 1635**

Prosa Exegesis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

*Sic quos immemores Dei,  
 Securosque nimis postuma quid ferat  
 Aetas, & Venus, & ioci,  
 Et vita instabilis ludicra detinent;  
 Quam per mille petunt vias,  
 Vano ludificat nomine faustitas.  
 Esto ambagibus omnia  
 Europaëque, Asiaëque, & Libyes vagi  
 Errones sola permeent,  
 Et vitam excrucient mille laboribus;  
 Numquam ad mœnia patriæ  
 Prouectos animorum excipiet quies,  
 Nequidquam Antipodum freto  
 Aut terris alio Sole calentibus  
 Vestigant animæ bonum,  
 Cum stellata habitat templa beatitas.*

## PROSA EXEGESIS.

**T**AMETSI naturâ ita comparatum est, vt ad sum-  
 mum bonum quilibet adspiret, & occulto quodam  
 impulsu ad veræ solidæque beatitatis domicilium pro-  
 se quisque alius aliud iter instituat; tamen ab hac metâ  
 nulli magis aberrant, quàm qui de vitâ postumâ, ani-  
 mæque immortalitate aut desperant, aut ambigunt.  
 Cum enim nulla possit esse vera beatitas, cuius posses-  
 sionem non firmat æternitas, æternitas autem ultra  
 mortalitatis huius limites inuestiganda sit; quomodo  
 miseri isti beatam illic vitam inuenient, vbi nec vitam  
 existimant inueniri?

Et hi quidem omnes triplici ferè viâ ad futilem  
 quamdam, & fallaci cogitatione adumbratam conten-  
 dunt beatitatem. Nonnulli sepositâ omni curâ felicitatis.

*Varia opi-  
 niones ab-  
 errantium  
 à scopo bea-  
 titatis.*

Xxxx 3

aut

aut infelicis æternitatis, nullum alium vitæ scopum, quàm quem in diem casus obtulerit, intuentur. Alij & certum sibi scopum præfigunt, & à verâ sapientiâ propiùs absunt, dum ad summum bonum collineant, quod in congruentiâ cum naturâ rationali, adeoque in ipsâ virtute constituunt. Alij denique diuitias, honores, voluptates, ceteraque præsentis vitæ commoda consecantur. Primæ quam dixi viæ vulgus hominum insistit: alteram Zeno cum totâ fermè Stoicorum scholâ delegit: tertiam Epicurus, Aristippus, ceterique Cyrenaici frequentarunt. Sed quamuis medij illi tolerabiliùs quàm ceteri insaniant, in omnes tamen quadrat illud Ecclesiastæ: *Labor stultorum affliget illos, qui nesciunt in vrbem pergere.*

*Inconstans  
vita illorū  
qui nullum  
sibi scopum  
præfigunt.*

Itaque videas in primis quosdam incertis vitæ officiis non minùs quàm tempestuosi maris fluctibus, ventisque aduersâ fronte concurrentibus iactari. Nunc eos trahit ardor militiæ, nunc mercandi præceptis cupiditas per terras omnes mariaque spe lucri circumducit: nunc ostentandi ingenij aut eloquentiæ causâ circa Iudicium subsellia tamquam muscæ volitant; nunc partem aliquam Reipublicæ capessunt; nunc superuacuis eos laboribus detinet operosa sedulitas, nunc alienæ fortunæ affectatio, aut odium suæ. Ita plerisque nihil certum sequentes, vaga, & inconstans, & sibi displicens leuitas per noua consilia iactando fatigat: & cum nihil sit quod oscitabundis & nauseantibus constanter placeat; nihil est quod illos prouehat ad eam, quam cæci palpitando quærunt, beatitatem: quemadmodum iis qui nullum suæ navigationi portum destinant, nullus ventus propitius est ac suus.

Itaque audias quosdam inter clientum greges, &  
rauca

rauca fori iurgia, Ianique tumultus, ceterasque honestas miserias, aut veriùs nugas plausibiles, non rarò exclamantes, vix viuere sibi concedi: tantum abest vt bene beateque viuant. Qui licet inter curas & negotia consenuerint, non illi quidem diu vixere, sed fuere. Quid enim? an illum putas multum nauigasse, quem fœua tempestas à portu exceptum huc & illuc tulit, ac viribus ventorum ex aduerso furentium per eadem spatia in orbem egit? Non ille multum nauigauit, sed multum iactatus est.

*Eorundem querela.*

*Seneca de Brevitate vitæ, c. 8.*

Tolerabiliùs errant cum suo Zenone Stoici, minusque à mœnibus beatę patrię aberrant, sed errant tamen. Vis nosse quis eorum sit error? Respondeo cum Senecâ (vt suo ipsum gladio iugulem) cum omnes beatam vitam optent, quòd instrumenta eius pro ipsâ habent. Virtutes, inquam, summum bonum statuunt, quæ licet per se beatitudini subseruiant, dum tamen in iis vltimum finem constituunt, nec ad Dei perfectissimam cognitionem mentis oculos erigunt, aut eiusdem amore cordis affectus inflammant, euanescent in cogitationibus suis, & infatuatur insipiens cor eorum; atque ita longiùs ab eo quod petunt semper abscedunt; & quò plus operæ impendunt, hoc se magis impediunt. quod euenit in labyrintho properantibus, vt ipsa illos velocitas implicet.

*Error Stoicorum qui in virtute summum bonum constituunt. Seneca Epist. 44.*

*Rom. 7. 21.*

Quorum non ignobilem cœtum dum ante oculos constituo, subit animum ipsius Senecæ inter ceteros miseratio, Deus bone! qualis quanti que viri! Qui cum intra quadriennium amicitia Neronis septem milliones aureorum cum dimidio sibi comparasset, tamen in tantâ diuitiarum affluentia non tantum in omnem vitam ostreis sibi ac boletis interdixerat, vinoque, vnguento

*Seneca abstinentia infructuosa.*

*Tacit. Annal. lib. 13.*

Idem ibid.  
lib. 15.

Seneca E-  
pist. 87.

Epist. 8.

guento & balneo abstinebat; sed simplici victu, & agrestibus pomis, ac si sitis admoneret, profluente aquâ, vitam tolerabat. Culcitam in terrâ sternebat, in quâ fenilis corporis vestigium apparere non posset: & postquam partem noctium studiis vindicasset, non vacabat somno, sed succumbebat, & oculos vigiliâ fatigatos cadentesque in opere detinebat, ut posteris prodesset, quibus salutare admonitiones velut medicamentorum vtilium compositiones, litteris mandabat. Sed heu! vir ille tantus quam æternitatem aut beatitatem sibi spondere potuit, cum nec animam quidem corpori superstitem, nisi fortè ad tempus aliquod, agnouerit?

Consolat.  
ad Mar-  
ciam, c. 19.  
Sola virtus  
in Phalaris  
tauro  
beatos non  
efficit.

At ipsa, inquit, virtus beatos efficit. Etiamne despectos, proscriptos, mille molestiis & incommodis circumseptos? etiamne eos, qui totâ vitâ in Phalaridis tauro mugiant, aut ad Caucasum alligati rediuiuo semper iecore pascant vultures? Apage cum fanaticâ illâ sapientiâ, quæ non tantum sapientissimi cuiusque calculo, sed etiam communi mortalium iudicio refellitur.

Beatitudo  
non animâ  
solam sed  
etiam cor-  
pus afficit.

Tametsi enim in fruitione summi boni animæ præcipuæ sint partes, cum tamen hominem non anima sola constituat, & incredibilis illi cum corpore intercedat sympathia; profectò necesse est ad perfectam beatitatem (quæ bonorum omnium aggregatione perficitur) corporis bona non omnino esse nulla. Ergo & illi *erauerunt in solitudine in inaquoso*, in sterili inquam humanæ Philosophiæ myriceto, & *viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.*

Beatitudo  
nō consistit  
in huius  
vita bonis.

Sed omnium turpissimè ac stultissimè hallucinantur, qui in diuitiis, honoribus ac voluptatibus solidam beatitatem constituunt. Quos si rationibus coarguendos censerem, latissimus hîc mihi campus aperiretur.

Hoc

Hoc inpræsentiarum sufficiat, stultam eorum opinionem diuinis humanisque suffragiis condemnari.

Quid enim aliud sibi volunt Poëtæ, dum multiplices Vlyssis errores celebrant, eiusque inter varia itineris blandimenta sapientiam constantiamque deprædicant? qui certè numquam ad Ithacensem, id est patrium litus appulisset, si aut ad Sirenum scopulos adhæsisset, aut meretricio Circes poculo hominem exuisset, aut loto degustatâ patriæ desiderium præsentis Lotophagorum amœnitate pepulisset.

Sed multò grauius, multoque neruosiùs eorum, qui se voluptatibus manciparunt, amentiam, ac infructuosos labores coarguunt diuinæ Litteræ. sic enim illos metaphoricè describit Isaias: *Oua aspidum ruperunt, & telas aranea texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur; & quod confotum est, erumpet in regulum. Tela eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis.* Heu! quàm vana merces tantis laboribus respondet, quantos ipsimet apud Sapientem deplorant: *Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, dum nimirum aut concupiscentiæ luto fœdantur libidinosi, aut diuitiarum spinis cruentantur avari, aut arduo præruptoque ascensu lassantur ambitiosi.*

Sed præstat eorum lamenta Sapientis ipsius verbis in medium proferre, ne quid de sacrarum Litterarum Majeestate infantia mea dederat. *Errauimus, inquit, à viâ veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transferunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrentes, & tam-*

Y y y y

quam

quam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam; cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum; diuisus aër continuo in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius. Sic & nos nati continuo desuimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Nos autem ad aliud stultitiæ genus, quod in dignitate constitutos præcipuè dehonestat, gradum faciamus.

## S E C T I O N O N A.

## E C C L E S I A S T E S.

- VERS. 16. Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt.
17. Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

## M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

**N**ON tot procellis feruet Ionium,  
 Non tot sub Arcto Luna puerpera  
 Niuisque grandinisque nimbis  
 Sarmaticas onerat nouales,  
 Quot regna clades exitiabili  
 Torrente inundant, cum diadematis  
 Sceprique, non virtutis heres  
 Rex viridi iuuenatur auro.

Infida